

(1250) 1251, març, 7

*Jusiana, esposa de Pere de Cervera, assigna una renda suficient per a aliments i vestit sobre els seus ingressos de Setcases a Arnau de Meixella, de Serinyà, a fi que aquest es pugui ordenar de prevere.*

ASD núm. 153, còpia sense data del s. xm, 75 x 225 mm, sense cloure. Hi ha una altra còpia sense data, igualment sense cloure, de finals del s. xm, 125 x 160 mm. És copiat al Llibre de capbreuacions de Setcases, ff. 7v-8.

Hac est translatum fideliter sumptum a quodam instrumento per alphabetum diuiso cuius series talis est. Notum sit cunctis quod ego domina Iusiana uxor quondam Petri de Ceruaria, uolens et desiderans te Arnallum de Maxella diachonum, filium Iohannis de Maxella de Siriniano et uxoris eius Berengarie posse promoui in ordine presbiteratus, dono et assigno ac concedo tibi titulo perfecte donacionis inter uiuos, in tota uita tua tamen, uictum et uestitum condecemtem accipiendum et habendum tibi tua propria auctoritate uel per officium curie uel alio quocumque modo uolueris cunctis diebus uite tue super omnibus fructibus et expletis, redditibus, prouentibus et iuribus quecumque accipio et habeo et accipere et habere debeo quocumque iure uel modo in tota parrochia Sancti Michaelis de Septemcasis, tam in decimis quam in mansis et bordis et mansionariis et censibus et agrariis et laborationibus quam in cunctis aliis possessionibus et tenedonibus quecumque et ubicumque sint in tota parrochia supradicta, ad titulum cuius dicte donacionis et assignationis tu possis recipere iamdictum ordinem presbiteratus. Uerumtamen si dum ego uixero uolueris in mensa et domo mea tibi dare uictum et uestitum supradictum, tu accipias ibi illum; sed si ego nollem illum tibi dare de uita mea ut dictum est, aut si ego obiero ante te, tu accipias et habeas ipsum uictum et uestitum super omnibus iamdictis fructibus et expletis et redditibus, prouentibus et iuribus quoscumque accipio et habeo in tota parrochia supradicta sicut melius potest dici et intelligi ad tuum bonum intellectum et comodum cunctis diebus uite tue.

Actum est hoc .II. nonas marcii anno Domini .MCC. quinquagesimo.

Sense cloure.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 313